

autem non est, nisi divino testimonio (S. Scriptura vel traditione apostolica) nitatur; mera analogia et conjectura eum indubium non reddit. At quum S. Scriptura nonnunquam sensu accommodato ac mystico imo consequente utatur, difficulter in casu particulari dignoscitur, utrum allegatio sensu spirituali an accommodato an consequenti fiat, — nisi sensus aliorum locorum litteralis verum sensum patefaciat. Usus tamen sensus spiritualis liberior oratoribus ad pietatem auditorum fovendam permittitur.

2. — Patres saepe sensum spirituale litterali velut medullam cortici, fructum arbori, spiritum corpori antepone videntur. Nonnulli antiquorum, imprimis discipuli Origenis, sensu litterali plane neglecto omnem curam atque operam in sensu spirituali investigando posuerunt. Contra hos statuitur

*Regula: Neuter sensus alteri sive potestate, sive dignitate absolute praefereendus.*

Sensus enim litteralis, utpote universalis, potior est, et quum sit fundamentum sensus spiritualis, plerumque certior est. Spiritualis litterali praestat ratione intentionis, quia a Deo principaliter est intentus. Etiam quoad signum aequalis est utriusque sensus potestas; nam nihil interest, verbane an res sint revelationis signa. Uterque sensus ejusdem est dignitatis, quoniam ejusdem est auctoris. Rei autem dignitate in Antiquo Testamento sensus spiritualis litterali praestat, quippe qui ad antitypon sc. ad Messiam praefiguratum pertineat; in evangelii autem eandem ob causam litteralis aliis sensibus antecellit.

#### § 94.

##### Usus sensus accommodati.

In liturgia ecclesiae et praxi rhetorica, item in libris dogmaticis et moralibus frequens est usus sensus accommodati, qui nonnunquam ab ipsis sacris auctoribus adhibetur. Quum autem consuetudo sensum accommodandi multas calumnias sit passa, haud ab re erit ejus rationem reddere et terminos constituere.

1. — *Propositio: Accommodatio sub certis conditionibus licita est et utilis.* Probatum

1. *S. Scriptura*, quae saepius sensu accommodato utitur, cujus exempla sunt sequentia. I. Mach. 1, 41, 57. (Amos 8, 10. et Dan. 9, 27.), I. Mach. 7, 17. (Ps. 78, 2. 3.), Matth. 7, 23. (Ps. 6, 9.), Matth. 10, 36. (Mich. 7, 6.), Luc. 23, 30. (Osee 10, 8.), Rom. 10, 18. (Ps. 18, 5. de astris dicitur), II. Cor. 8, 15. (Ex. 16, 18. de manna),

Hebr. 13, 5. (Jos. 1, 5.). — Ubi in Scripturis impletio vaticiniorum asseritur, accommodationem praesumere non licet, sed aliquis modus impletionis admittendus. Aliis autem locis causa non est, cur accommodatio (saltem per extensionem) pernegetur.<sup>1</sup>

2. *Usu SS. Patrum et praxi ecclesiae.* Usus accommodationis apud Patres, oratores sacros et in liturgia ecclesiae frequentissimus est. Specialiter ecclesia laudes virorum sanctorum biblicorum saepe sanctis suis (per extensionem) applicat. E. g. verba Eccli. 44, 17. *inventus est justus, et in tempore iracundiae factus est reconciliatio*, quae de Noe dicuntur, sanctis pontificibus, et Psmi 40, 3. *Dominus conservet eum et vivificet eum etc.*, quae de viro pauperis amico dicuntur, Romano Pontifici applicantur.

3. Ejusmodi accommodatio caute facta *reverentiam Scripturae minime violat*. Idem facere solemus auctoribus profanis, quo tantum abest ut iis injuriam inferamus, ut etiam honorem tribuamus, verbis eorum pro auctoritate vel ornamentis orationis utendo.

2. — Sensus tamen accommodatus, quum non sit cogitatio auctoris, sed interpretis, vim auctoritatis ad aliquid demonstrandum non habet. Nihilominus verba accommodata possunt veritatem apte ac pulchre enuntiare, et vel per se, vel ut verba accommodantis vim probandi habere. Ideo accommodatio, dummodo verbis auctoritas et intentio auctoris ne tribuatur, reprobanda non est, neque veri sensus ignorantiam arguit. Immo ingeniosa est ac gratiosa, cogitationumque fertilium parens, in usum rhetoricum certe admittenda. Imprimis sensus per extensionem accommodatus veritate non omnino caret. Nam etsi hermeneutice falsus, objective tamen verus est; nempe quamvis ab auctore non intentus, in rem, cui applicatur, valet.

*Regulae in usu sensus accommodati.*

1. *Sensus accommodatus pro genuino, ab auctore intento non habeatur, neque in dogmatum demonstratione vel confirmatione tamquam testimonium divinum proponatur.* Quum enim sensus auctoris non sit, neque auctoritatem Scripturae participat. Ei ergo auctoritatem Scripturae tribuere mendacium ac dolus esset.

Eos, qui sensu accommodato abutuntur, verba S. Hieronymi carpunt: »Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur, quid prophetae, quid apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi

<sup>1</sup> Nonnulli locos supra allatos sensu spirituali vel sensu litterali multiplici accipiunt; sed perperam.

genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam trahere Scripturas repugnantes . . . Puerilia sunt haec.« (Ad Paulin. ep. 53, 7. cf. Praef. in Abd.)

2. *Accommodatione non nisi ad veritatem et pietatem et sine jactura honoris Scripturarum utendum est.* Non ergo licet verbis S. Scripturae ad probationem falsorum, excusationem peccatorum, argumentum vel condimentum sermonum profanorum, scurrilium ac petulantium abuti.

Concilium Tridentinum (Sess. IV. decr. de edit. et usu ss. librorum) reprobavit et prohibuit temeritatem atque irreverentiam, qua verba et sententiae S. Scripturae »ad profana, scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos« convertuntur et detorqueantur, et »hujus generis homines temeratores et violatores verbi Dei« ab episcopis coercendos esse mandavit.<sup>1</sup>

3. *Inter sensum verum et accommodatum,* vel inter res, de quibus verba dicuntur et eas, quibus applicantur, aliqua analogia sit, oportet. Accommodatio ne sit manifesta sensus depravatio, nec verba biblica rebus nimis disparibus imponantur, ne inde irrisio et contemptus Scripturae oriatur.

E. g. verba psalmi 9, 36. *quaeretur peccatum illius et non inveniatur,* quae de peccatore una cum memoria scelerum delendo dicuntur, immaculatae B. Mariae conceptioni applicare minime deceret et liceret.

## § 95.

### Usus sensus mystici.

1. — *Origo sensus mystici.* Consuetudo sensus mystici ex vivo orientalium ingenio, disciplina arcani primorum Christianorum, et ex usu homiletico S. Scripturae nata est.

Imaginatio orientalium res abstractas sensibilibus repraesentat, et in rebus ac factis sensibus subjectis veritatum religiosarum ac moralium imagines vel signa apprehendit. Disciplina arcani primis Christianis necessitatem imposuit, doctrinam suam ethnicos celandi, et mysteria sua symbolis occultandi. Olim in conventibus Christianorum omnes libri sacri a primo ad ultimum legebantur et exponebantur.

<sup>1</sup> Bene de S. Scriptura dicit S. Franciscus Salesius: »Ce n'est pas une étoffe qu'on puisse tailler à son gré pour s'en faire des parements à sa mode.«

Quum autem complures loci historici Ant. Testamenti sensu litterali accepti aridam ac sterilem materiam populo, piam doctrinam expectanti praeberent, ne fideles praelectionis taederet, oratores ad allegorias morales et dogmaticas, parabolis evangelicis assimilatas confugerunt. Imo S. Hieronymus fatetur, se Abdiam ideo allegorice interpretatum esse, quod historiam ejus nesciret. (Praef. in Abd.) Aliquando sensus litteralis clarus expositione non indigere putabatur, ideo doctrina moralis sub sensu litterali latens investigabatur. Etiam exemplum sensus spiritualis revelati oratores Christianos ad alios sensus similes reperiendos alliciebat.

2. — *Regula. Orator Christianus in institutione practica sensu mystico intra justos terminos licite et fructuose utitur. Exegetae tamen sensu mystico uti non licet, quia hic sensus non est verus ac genuinus, ab auctore intentus.* Nam

a) talis usus non est adulteratio sensus, verum accommodatio aethetica, quae sibi veritatem hermeneuticam non vindicat, sed doctrinam veram illustrare, rem abstractam corporali specie induere, orationem ornare, phantasiam ac memoriam juvare, pios animi sensus fovere et voluntatem movere intendit. Et ad eum finem interpretatio mystica aptissima est.

b) Sensus mysticus non est a mente auctoris alienus atque omnino falsus. Nam etsi loco explanato ab auctore intentus non est, aliis tamen locis quoad essentiam manifestatur idest analogiae biblicae congruit.

Ad rem dicit S. Augustinus: »Quisquis in Scripturis aliud sentit, quam ille, qui scripsit, fallitur. Sed tamen . . . si ea sententia fallitur, qua aedificet charitatem, . . . ita fallitur, acsi quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilius viam non deserere, demonstrandum est.« (Doctr. Chr. I. 36.) Optime interpretatio mystica adhibetur ad sensum spiritualem revelatum uberius explicandum.

c) Interpretatio mystica supponit analogiam mundi aspectabilis et invisibilis, realis et idealis, physici et moralis. Quae analogia prorsus ficta non est. Ambo enim illi mundi sunt opera ejusdem Dei, ad exemplar earundem idearum creata et easdem cogitationes divinas repraesentantia. Ipse Christus Dominus identidem analogiam mundi physici et moralis praesertim in parabolis significavit; e. g. Matth. 13, 3. sqq. 24. sqq. 31. 33. 26, 29. Luc. 22, 16. Joan. 15, 1. conf. I. Cor. 9, 9.

d) Mysticam interpretationem practicam consecrat vetus ecclesiae usus jam in catacubarum imaginibus mysticis conspicuus; commendat exemplum SS. Patrum et oratorum praeclarissimorum, qui omni ingenii acumine et phantasiae vigore in sensus mysticos inquirebant, iisque opera sua ornabant. Eandem interpretationem approbat liturgia ecclesiae, quae in precibus ac ritibus personas, res et narrationes biblicas (etiam non typicas) frequenter et cum magno pietatis incremento mystice adhibet atque exponit.

3. — In usu tamen sensus mystici sequentes *cautelae* sunt adhibendae.

a) *Vitandus est sensus mysticus falsus*; seu cavendum est, ne sensus mysticus pro spirituali vel etiam litterali translato (allegorico vel parabolico) ab auctore (humano vel divino) intento habeatur aut sensus litteralis negligatur vel allegoriis praesumptis veritas historica negetur.

*Interpretatio haec mystica falsa* est error Philonis et rabbinorum antiquorum (midraš), item Origenis ejusque discipulorum, qui sensum mysticum pro spirituali a Spiritu S. intento habebant, imo etiam in locum sensus litteralis supponebant. Fatendum est, plures etiam SS. Patres mysticae interpretationi interdum nimis indulsisse.

b) Non licet sensu mystico *in scientia theologica ad veritates religionis demonstrandas* uti, — sed tantum in catechesi et oratione sacra ad veritates illustrandas, memoriae mandandas, piosque motus animi excitandos. Sensus enim mysticus non est auctoris genuinus, sed figmentum lectoris.

c) Cavendum est, ne analogia *per vim* textui sacro *extorqueatur* et S. Scriptura in risum vertatur atque interpres quasi ludere videatur.

d) Caveat mysticus interpres, ne phantasia seductus *ab analogia biblica* et doctrina ecclesiae aberret.

## § 96.

### Usus sensus consequentis.

Sensus consequens non solum apud catechistas et concionatores, sed etiam in theologia frequentem habet usum, et ad ipsam demonstrationem adhibetur. Quaeritur ergo: a) liceatne sensu consequenti ad demonstrationem uti? b) possitne ille pro sensu Scripturae a Spiritu S. intento haberi? c) qualis abusus sensus consequentis sit vitandus?

1. *Sensus consequens* ipsius veritatis naturalis et eo magis *veritatis revelatae necessario verus est, eoque ad probandum uti licet*. Conclusio enim ex veris praemissis legitime deducta non potest vera non esse. Si igitur una praemissa est veritas biblica, altera veritas rationalis vel empirica certa: etiam conclusio vera sit necesse est. Atqui talis conclusio est sensus consequens, qui ergo ex vero Scripturae sensu logice collectus certissimam veritatem enuntiat, quamquam ipsorum Bibliorum sensus haberi non potest. Sensum ergo consequentem non modo ad rem aliquam illustrandam sed etiam demonstrandam adhibere licet, ut theologi dogmatici faciunt.

Ipsi sacri scriptores conclusiones e verbis Scripturae deducunt, et illis pro argumentis certissimis atque infallibilibus utuntur.

Ita Matth. 22, 32. ipse Christus ex eo quod Dominus se Deum Abraham, Isaac et Jacob (Ex. 3, 6.) appellet, Deus autem Deus mortuorum esse non possit, concludit patriarchas nominatos adhuc vivere, ergo eorum animas immortales esse. — S. Paulus I. Cor. 9, 9—11. ex verbis Moysis: »non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas« (Deut. 25, 4.), concludit evangelii praeconibus sustentationem deberi, quia quae bobus ipsis frumentum suppeditantibus tribuenda sint, certe, imo magis hominibus in bonis spiritualibus operantibus debeantur. — Libri dogmatici ex iis, quae Joan. 15, 26. 16, 7. 13. 14. de historica Spiritus Sancti a Christo missione atque in apostolos effusione, et de doctrina Spiritus S. a Christo accipienda dicuntur, concludunt, Spiritum Sanctum cum missione et doctrina etiam naturam a Filio accipere.

2. *Sensus consequens*, etsi verbis S. Scripturae expressus non est, tamen *a Spiritu S. intentus, quasi sensus S. Scripturae implicitus haberi potest*. Homini quidem accidere potest, ut cogitationem imperfectius exprimat, verborumque consectaria omnia non praevideat vel non intendat. Ideo sensus consequens dicti humani auctori non semper adscribi potest. Verum tale quid Spiritui Sancto omniscio et omnipotenti accidere non potest. Hinc certe Spiritus S. saltem in textu Bibliorum originali verba fini aptissima elegit, eorumque omnia consequentia praevideat et intendit. Attamen quum veritas sensus consequentis a veritate praemissae humanae et a recta conclusione dependeat, in quibus ratio humana errare possit: sensum consequentem pro effato divino habere non licet, nisi auctor inspiratus vel infallibilis eum deducat.

3. In usu sensus consequentis *duo errores cavendi* sunt: ne praemissa humana seu propositio auxiliaris falsa sit, neve conclusio vitiosa fiat. Sensus consequens ex falsa praemissa auxiliari recte deductus vocatur *parhermeneuma*, sensus autem consequens ex vera praemissa auxiliari vitiosa conclusione deductus dicitur *paralogismus exegeticus*.

## CAPUT SECUNDUM.

## Systemata antichristiana.

## ARTICULUS PRIMUS.

## Interpretatio Judaeorum.

## § 97.

## Interpretatio Judaica antiquior.

1. — *Interpretatio antiqua tradita*. Antiquissimi Scripturae A. T. interpretes sunt procul dubio Judaei, inter quos libri sacri nati sunt. Lex jam a Moyse sacerdotibus et levitis tradita est, qui eam custodirent, praelegerent et explanarent. (Deut. 17, 8—12. 18. 31, 9—13. 24.—26. II. Esdr. 8, 1—9. Luc. 4, 16. sqq. Act. 13, 15. sqq. 27. 15, 21.) Tempore judicum et praecipue regum prophetae a Deo missi religioni atque interpretationi legis invigilabant. Post captivitatem orti sunt legisperiti et eorum scholae; mox synagoga magna, et aetate Machabaeorum synedrium instituta, ut rebus populi civilibus sacrisque praeessent. Quae scholae et instituta non poterant etiam in interpretationem Scripturae non incumbere vel ei saltem non invigilare.

Sane de regulis modisque interpretationis, ante Christum apud Judaeos observatis, pauca scimus. Quum tamen Judaeis saltem antiquioribus lingua librorum sacrorum esset vernacula, res biblicae iis obviae atque experientia cognitae, traditiones Scripturae interpretatrices praesentes, ipsaque Biblia propter magnum in quo erant, honorem ac frequentem praelectionem notissima; praesertim autem, quum Deus peculiarem religionis Judaeorum curam haberet: non est dubium, quin rectus Bibliorum sensus iis apertus notusque fuerit. Interpretatio eorum erat practica, prophetarum et synagogae auctoritate nixa. Certum est jam ante Christum praeter sensum litteralem etiam spirituales seu typicum ab iis admissum et investigatum esse.

Interpretatio haec venerabilis in libris Ant. Test. deuterocanonicis, in versione Alexandrina, ex parte etiam in antiquioribus targumim (Onqelosi et Jonathanis ben Uziel), sed praecipue in libris Novi Test. scriptisque discipulorum apostolorum conservata est, et in quantum a Christo ejusque apostolis approbata, ecclesiae Christianae haereditate obvenit.

At jam tempore hellenismi, quum philosophia moresque Graecorum Judaeos contigissent, et diversae inter Judaeos factiones sectaeque ortae essent, multi eorum de recta interpretationis via decedere coeperunt. Alii enim traditiones falsas praeter legem induxerunt, alii autem allegoriis plus justo indulgebant.

2. — *Interpretatio pharisaico-talmudistica*. Tempore Machabaeorum (si non ante) in scholis legisperitorum secta pharisaeorum praevaluit; post eversionem autem urbis ea fere sola scholarum rabbinicarum magis efflorescentium dux ac domina facta est.

Principia interpretationis pharisaico-talmudisticae sunt sequentia.

a) Moyses in monte Sinai praeter Legem scriptam etiam legem oralem a Deo accepit, quam senioribus tradidit. Haec autem lex per seniores ac prophetas, et post captivitatem per synagogam magnam scholasque legisperitorum conservata est ac propagata. Duplex ergo est fons legum (moralium, juridicarum, liturgicarum): Lex Moysis scripta (Torâ), et lex a Moyse verbis data et postea traditione conservata. Traditio illa primo tantum exegetica, non constitutiva habebatur, idest legem scriptam explicans, non novam legem statuens. Ideo interpretes toti in eo erant, ut omnes leges traditas consuetudinesque humanas ipsa Torâ bene intellecta contineri probarent, ejusque auctoritate munirent. Plerumque autem propria placita Legi supposebant. Interpretatio ipsa Scripturae vocabatur *midraš* מִדְרָשׁ i. e. inquisitio, exegesis; interpretatio autem tradita (sensus traditionalis) vocabatur *šema'ata* שְׁמַעְתָּא auditio.

Procedente tamen tempore traditio altera praeter Toram lex ab hac independens facta est, eaque multo quam haec amplior, temporibus accommodata, necessitatibus vitae consulens, populumque a gentibus sepius instar separatura. Leges istae dehinc vocabantur altera *miqra* מִקְרָא (lectio) i. e. scripta, altera *mišnê* מִשְׁנָה vel rabb. *mišnâ* מִשְׁנָה (duplicatio, repetitio, secunda pars, deuteronomos) seu lex verbalis.